

nec excedant, neque omnino deficiant, alioquin nihil ipse perficere potest. Si enim iis incomodis uteretur, nil efficiet, quippe inutilibus (§. 40.); si autem in excessu; grave hoc erit, quatenus detrimentum majus per excessum infert (§. 46.); si iterum iis cum defectu uteretur, nihil ad finem perducit; opportet igitur semper appropriatis uti, & mediocritatem omnino tamquam utilem indagare, si quis finem dextre assequi velit, omnem autem excessum atque defectum tamquam noxios & a scopo aberrantes evitare, atque defectus quidem, vanus tantum est, excessus autem summe noxius.

§. 48. Quodlibet enim moderatum aequilibrium motuum conservat, quibus totum conservatur corpus, aequabilem scilicet & perfectum eorum usum, in quo tota consistit valetudo. Quidquid vero immoderatum est, id totam aequabilem vim aequilibrii iis aufert, usumque eorum integrum summe laedit, adeoque morbum gravem facile infert, iste igitur priori additus,